

mat, tandem tamen elapso tentationis tempore *os suum aperiet, & nos à calumnia vindicabit;* Pſal. 39. & Joh. Ep. 1. cap. 3. *Nondum apparuit quid erimus.* Atque hæc tenentur patet quid sibi velit illud *Deus laus mea, Deus inquam, non Mundus, non Pecunia, non Fama;* juxta illud Jerem. 9. *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus.*

## CAPUT XVII.

QUOMODO CHRISTI ET OMNIUM SANCTORUM EXEMPO CALUMNIAS TOLERARE OPORTEAT.

Pſal. 103. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui me deridebant, adversum me jurabant.*

**I**NTER cæteras miseras & calamitates Christianorum nõ postrema est detractio & calumnia: à qua nec ipse Christus immunis fuit, sectâ Phariſæorum præcipuè linguis suis viperinis illum cum vivum tum mortuum cõfodiente. Id quod nobis argumento esse debet, Christianorum neminẽ meliore conditione futurum, quin quanto

*Christianus nullus securus est à falsis linguis.*